

# EPISTULA LEONINA

## LXIX

**PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

**ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.**

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**UNDESEPTUAGESIMAM (69) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.



***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod anno bis millesimo quarto decimo ineunte mihi licet Tibi offerre **Epistulam Leoninam undeseptuagesimam**. En vide, quales strenas tibi offeram:*

- 1) Rota Fortunae**
- 2) Verba Eduardi Snowden revelatoris natalicia**
- 3) Allocutio Angelae Merkel cancellariae foederalis**
- 4) Pyrotechnema quid sit**
- 5) Pyrotechnema Fragrantiae**
- 6) Fabella Grimmiana: Avis Fitcheri**
- 7) Vota in annum MMXIV ferenda**

*Ecce heptadem strenarum tibi omni qua par est observantiâ oblatam !*

*Restat, ut tibi, cara Lectrix, care Lector, in annum 2014 ineuntem offeram vota natalicia quam maximê salutaria.*

*Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!*


**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
<http://www.leolatinus.com/>  
LEO LATINUS**



**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Solis, 5.o m.Ian., anno 2014**

# ROTA FORTUNAE



**Sors immanis et inanis, rota tu volubilis,  
status malus, vana salus semper dissolubilis,  
obumbrata et velata michi quoque niteris;  
nunc per ludum dorsum nudum fero tui sceleris.**

Inscriptiones: regnabo – Regno – regnavi – Sum sine regno. - FORTUNE ROTA VOLVITUR: DESCENDO MINORITATUS ALTER IN ALTUM TOLLITUR NIMIS EXALTATUS

Canticum: O FORTUNA, stropha altera. CARMINA BURANA (poetae anonymi ca. a.1230.).

[http://www.hs-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost13/CarminaBurana/bur\\_cmo1.html](http://www.hs-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost13/CarminaBurana/bur_cmo1.html)

[http://www.youtube.com/watch?v=PzMBZu\\_XTEw](http://www.youtube.com/watch?v=PzMBZu_XTEw)

<http://www.youtube.com/watch?v=bQcEG-C4vCo>

<http://www.youtube.com/watch?v=FWiyKgeGWx0>

[http://www.pcwelt.de/news/Originaltext\\_von\\_Edward\\_Snowdens\\_Weihnachtsansprache\\_zum\\_Nachlesen-The\\_Alternative\\_Christmas\\_Message\\_2013-8370682.html](http://www.pcwelt.de/news/Originaltext_von_Edward_Snowdens_Weihnachtsansprache_zum_Nachlesen-The_Alternative_Christmas_Message_2013-8370682.html)

27.12.2013, 10:03 Hans-Christian Dirscherl

## **ANNI 2013 NUNTIUS NATALICIUS ALTERNATIVUS**

*Eduardus Snowden* revelator<sup>1</sup> speculationis Americanorum universalis quid dixerit de vitâ privatâ amissâ

*Eduardus Snowden* allocutione suâ nataliciâ commonet de omni vitâ privatâ amissâ. Infra vobis praebemus textum completum allocutionis magnetoscopicae, quae appellatur “Anni 2013 Nuntius natalicius“ („*The Alternative Christmas Message 2013*“).

Allocutione *Eduardi Snowden* revelatoris nataliciâ per canalem quartum („*Channel 4*“) emissâ magnus tumultus effectus est. Canalis quartus, quae est statio televisifica Britannica, hac emissionem excivit multorum admirationem, gubernationis Americanae indignationem – ita ut eadem statio olim iam fecerat allocutione nataliciâ emittendâ *Mahmudi Ahmadinedschad* praesidis tum Iraniani.

*Eduardus Snowden* allocutione suâ, quae fit per unam minutam et 43 (quadraginta tres) secundas, commonet, ne omnis vita privata amittatur. *Snowden* monet fore, ut parvulus hodie natus omnino nesciat, vita privata quidnam sit. Necnon instrumenta observationis in libro *Orwelliano* („1984“) descripta hodiernis longê superari.


Infra invenies completam *Eduardi Snowden* allocutionem nataliciam (*in Latinum conversam*), quae a moderatoribus „Canalis quarti“ sub titulo allocutionis nataliciae alternativae („*The Alternative Christmas Message 2013*“) emissa est in locum officialis allocutionis nataliciae, quam habet Regina Britanniae.

Allocutio natalicia regis aut reginae regentis in Britannia maiore fieri solet ex a.1932. Prima allocutio natalicia habita est a rege *Georgio V.*, avo reginae, quae nunc est. Officialis autem Nuntius Reginae Natalicius more tradito emissus est a *BBC*. Canalis autem quartus nuntium suum natalicium alternativum emittit ex anno 1993. A.2008 moderatores eiusdem canalis televisorii auditores provocaverunt emittendâ allocutione nataliciâ *Mahmudi Ahmadinedschad* praesidis Iraniani.

**NUNTIUM EDUARDI SNOWDEN NATALICIUM EX ANGLICO IN  
LATINUM SERMONEM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS PRAECEPTOR SEDIS INTERRETIALIS, CUI  
NOMEN EST LEO LATINUS.**

<sup>1</sup> revēlātor, -ōris m. angl. whistleblower. cfr verbum, quo Catalani talem virum appellant: revelador d’informacio. [http://ca.wikipedia.org/wiki/Revelador\\_d%27informaci%C3%B3](http://ca.wikipedia.org/wiki/Revelador_d%27informaci%C3%B3)

[http://www.dailymotion.com/video/x18vck0\\_le-message-de-noel-d-edward-snowden\\_news](http://www.dailymotion.com/video/x18vck0_le-message-de-noel-d-edward-snowden_news)



### ***Salutem vobis dico et laetum Natale Domini exopto.***

Occasio honesta mihi data est hōc anno vobiscum vestrisque familiis loquendi.

*Nuper accepimus gubernationes nostras inter se cooperantes creavisse systema custodiendi universale, quo observantur atque custodiuntur quaecumque facimus. Georgius Orwell Britannus nos commonuit de periculo talis informationis. At genera informationes colligendi in libro Orwellii descripta – quae sunt microphona et camerae magnetoscopicae et televisoria quibus observamur – nihil sunt, si comparantur cum instrumentis, quae hodie nobis praesto sunt. In sacculis bracarum habemus instrumenta sensoria, quae investigant nos, quocumque imus.*

*Deliberate, quid hoc valeat ad vitam privatam hominis communis. Parvulus hodie natus adolescet omnino nullâ notione vitae privatae cognitâ. Parvuli hodierni numquam scient, quid valeat habere momentum temporis proprium, quid valeat cogitare rem, quin ab aliis recipiatur et disquiratur. Haec est difficultas, quia vita privata multum valet. Nam nonnisi vitâ privatâ possumus definire, qui simus et qui esse velimus.*

*Colloquiis, quae hodie fiunt, definietur, quantum possimus confidere et instrumentis technicis, quibus sumus circumiecti, et gubernationi, qua illa diriguntur. Unâ si operam dederimus, fieri poterit, ut inveniamus melius aequilibrium et finiamus observationem custodiamque universalem et commoneamus gubernationem, eadem si reverâ velit scire, quid nos sentiamus, semper minoris pretii esse nos interrogare quam speculari.*

***Omnibus audientibus gratias ago et laetum Natale Domini exopto.***

## ALLOCUTIO ANGELAE MERKEL CANCELLARIAE GERMANIAE IN ANNUM 2014 INEUNTEM HABITA

[https://cvd.bundesregierung.de/Content/DE/\\_Anlagen/2013/2013-12-30-neujahrsansprache.pdf?\\_\\_blob=publicationFile](https://cvd.bundesregierung.de/Content/DE/_Anlagen/2013/2013-12-30-neujahrsansprache.pdf?__blob=publicationFile)



Publicas res pecuniarias proximae generationi ut traderentur ordinatae – hoc *Angela Merkel* dixit esse propositum annorum venturorum unum ex gravissimis.

***"Carae concivissae concivesque,***

*more tradito anno ineunte nobis eas res bonas proponimus, quas simus effecturi. (Fortasse modo vobis proponitis, ut desinatis fumare, ut corpus magis exerceatis aut ut plus temporis degatis cum familiâ. Egomet ipsa soleo mihi proponere, ut saepius domo exeam ad aerem recentem hauriendum – certê etiam haec est res bona, quam multi iterum iterumque sibi proponunt faciendam.) At deinde novo anno procedente celeriter redimus ad modum vivendi solitum. Saepe unus eventus rapidê sequitur alterum. Interdum aliquo eventu in vitâ nostrâ multa mutantur, immo omnia.*

*Inundatio, quae aestate ineunte in vitam ingruit multorum hominum ad Danubium, Albim, Mildam, Salam<sup>1</sup> viventium, talis fuit eventus. Modo demum effectûs ingentis inundationis a.2002 factae erant sublatis, cum subito multi homines iterum invalidi non potuerunt, quin aspectarent omnia bona sua fortunasque undis auferri. At simul exorta est altera*

<sup>1</sup> Nomina fluviorum theodisca sunt *Donau, Elbe, Mulde, Saale*.

unda, quae fuit omnino alius generis: ingens unda hominum, qui essent prompti paratique ad auxilium ferendum. Ex eadem undâ apparuit, quantum valerent homines nostrae terrae. Grex quidam studentium Passaviensis<sup>2</sup> interreti cottidie aliquot millenos adiutores voluntarios advocavit necnon curavit, ut auxilium eo ferretur, ubi fuit necessarium. Hoc est unum tantum exemplum ex multis. Scilicet praeter eventûs maiores nuntiis publicis relatos in vitâ nostrâ privatâ multae res factae sunt, quibus aliis animus noster delectatus est, aliis spes nostra decepta. Nonnulli curant aliquem hominem necessarium propinquumque aegrotum aut, cum hominem perdiderint sibi carum, vesperum hodiernum degunt lugentes. Ergo verê non omnia sunt talia, qualia fore speravimus aut exoptavimus. At iterum iterumque occasiones sunt, quibus captis homines denuo possint spem redintegrare. Multi in Germaniâ – et aetate minores et maiores - dicunt: Equidem audeo aliquid facere. Alii condunt associationem aut negotiationem. Alii ingenio suo usi fiunt artifices aut athletae aut fabri. Iidem operam dant professionibus suscipiendis venditricis aut gerontocomae<sup>3</sup> aut iudicissae<sup>4</sup>. Alii quamvis vivant debiles, tamen haud aliter ac miliones aliae operariae operarii que curant, ut natio nostra procedat prosperê. Alii non negligunt homines, qui urgentur et angustiis premuntur. Eorum singuli universi suo modo efficiunt, ut natio nostra valeat praecipuê, idque animis suis ad opera praestanda promptis, studiosis, concordantibus. Eo quod unusquisque nostrum assequitur, augetur universa civitas. Res publica potest in aliquâ re pecuniam collocare. Eadem potest efficere, ut valeant condiciones bonae. Sed res publica pauca tantum efficere posset sine vobis omnibus in nostrâ terrâ viventibus, carae concivissae concivesque, undecumque venistis. Hac enim de causâ hîc anno nuntiatae sunt tot res bonae. Ideo apud nos plures homines sunt opere occupati quam umquam antea, ideo nos ipsi durae competitionis oeconomicae participes, quae fit inter nationes totius orbis terrarum, prosperrimê valemus, ideo permulti homines honoris causâ opem ferunt ad societatem nostram adiuvandam. Multa sunt agenda, ut Germania in futurum pergat valere. Maximê ea curo, ut res nostras pecuniarias proximae generationi tradamus ordinatas, ut studia nostra energias renovabiles adhibendi prosperê procedant<sup>5</sup>, ut conterranei nostri bene atque concorditer cooperentur – praesertim cum societas nostra fiat vetustior et multiplicior. Adiuvemus familias – eadem sunt ipsa societatis nostrae viscera. Nos volumus omnes parvulos adulescentesque quam optimê erudiri ideoque occasionem accipere quam optimam bonae vitae agenda. Nec ignoramus

<sup>2</sup> Passavia, -ae f. est urbs Passau Bavarica.

<sup>3</sup> \*gerontocoma, -ae f. Altenpflegerin.

<sup>4</sup> +iudicissa, -ae f. Richterin.

<sup>5</sup> orig. dass wir die Energiewende zum Erfolg führen.

*progressûs nostrae nationis fieri non posse, nisi in Europâ quoque progredientes crisin rerum publicarum obaeratarum reverâ definitê superemus. Proximo mense Maio 375 (trecenti septuaginta quinque) miliones civissae civesque Europae poterunt eligere novum parlamentum Europaeum – id est centum annis post primi belli mundani initium et 75 (septuaginta quinque) annis post secundi belli mundani initium et 25 (viginti quinque) annis post casum muri Berolinensis, quo divisio Germaniae et Europae finiri incepta est. Europa paucorum somnio, studio multorum facta est sedes pacis, quam incolunt aliquot miliones hominum. Inde denuo apparet, quantum assequi possimus, si alii aliis confidimus et concorditer cooperamur – ita ut aestate ineunte, cum inundatio fieret, fecerunt multi adiutores voluntarii et militissae militesque et astyphylacissae astyphylacesque et ceteri adiutores omnes. Si respicimus, quanta res agenda sint, singula adiumenta licet primo videantur parvae. Tamen omnibus adiumentis consummatis nostra terra valet vigetque.*

*Carae concivissae concivesque, in annum ineuntem exopto nobis omnibus promptum animum, quo proposita nostra, saltem gravissima, ad veritatem adducamus, animum audacem, quo iterum iterumque res bonas perficere incipiamus necnon fortitudinem et solacium, quibus vitae difficultates perferamus. In annum ineuntem 2014 (bis millesimum quartum decimum) vobis vestrisque familiis medullitus exopto bonam valetudinem animique aequitatem necnon Dei benedictionem.“*

**Hanc allocutionem in annum ineuntem 2014 habitam d.31.m.Dec., a.2013 Officio gubernationis foederalis diurnario et annuntiatorio (*Presse- und Informationsamt der Bundesregierung*) editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: "*Neujahrsansprache von Bundeskanzlerin Angela Merkel zum Jahreswechsel 2013/2014 am Dienstag, 31. Dezember 2013, in Berlin*". [https://cvd.bundesregierung.de/Content/DE/\\_Anlagen/2013/2013-12-30-neujahrsansprache.pdf?\\_\\_blob=publicationFile](https://cvd.bundesregierung.de/Content/DE/_Anlagen/2013/2013-12-30-neujahrsansprache.pdf?__blob=publicationFile)**



## PYROTECHNEMA QUID SIT



Pyrotechnema die Iaponico *Dusseldorpii* factum



*Pyrotechnema Hammaburgi die festo floris cerasini factum*

**Pyrotechnema** est spectaculum, in quo capsae pyrotechnicae accenduntur coordinatae.

**Ars pyrotechnica** (a graeco τὸ πῦρ, τοῦ πυρός „ignis“) spectat ad combustionem, quae plerumque progreditur ratione displosivâ.

- **Fabricatum pyrotechnicum** est nomen productorum industriae pyrotechnicae, quibus insunt syntheses pyrotechnicae.
- **Synthesis pyrotechnica** est mixtura substantiarum, quae adhibetur ad phaenomena acustica optica thermica mechanicave efficienda. Talis synthesis minimum continet **substantiam oxidationis** et **substantiam combustionis**. Syntheses pyrotechnicae sunt partes capsarum pyrotechnicarum effectivae. Eaedem cum sint materiae displodendo periculosae, subiectae

sunt legibus specialibus, quae sunt **ius materiae displosivae adhibendae** et **lex artis pyrotechnicae**.

- **Capsa pyrotechnica** est – sensu iuridico – res, quae continet synthesin pyrotechnicam, cuius statu chemico voluntariê mutato efficiuntur certa phaenomena motionis, luminis, crepitûs, fumi, nebulae, pressionis, irritationis.
- **Effectus pyrotechnicus** est effectus capsae pyrotechnicae.

Fabricata pyrotechnica sunt e.g. ramenta flammifera aut syntheses propulsoriae saccorum securitatis (*airbags*), praesertim producta artis pyrotechnicae necnon effectûs speciales.

Materiae pyrotechnicae in omni ferê terrâ subiectae sunt iuri materiae displosivae nationali vel lêgi artis pyrotechnicae speciali. Eaedem secundum pondus universum distribuuntur in classes diversas.

Transportatio dirigitur conventionem, quae appellatur ADR, i.e. Europaea conventio bona periculosa per vias internationaliter transportandi.

### **Genera pyrotechnematum**

Effectûs pyrotechnici sunt lux (formae, colores), strepitus (crepitus, sibilatio), fumus, calor, nebula artificialis.

### **Pyrotechnema humile et altum**

Altitudine rucherarum ascensoriâ inter se distinguuntur pyrotechnema humile et altum:

- Ad **pyrotechnema altum** generaliter spectant omnes capsae pyrotechnicae, quae in altum iaciuntur aut quae machinamento proprio in altum ascendunt. Tales capsae pyrotechnicae sunt *bombae* et *ruchetae*.
- Ad **pyrotechnema humile** spectant capsae pyrotechnicae humo firmê affixae, quales sunt *capsae fontanae*, *ignivomae*, *solares*, *cataractoideae*, *imagines luminosae*.
  - Quia hoc genus pyrotechnematum classicum aetate baroccâ valdê diligebatur (et hodie saepe comburitur musicâ baroccâ comitante), pyrotechnemata humilia saepe etiam appellantur *pyrotechnemata barocca*.
  - *Imagines luminosae bengalicae* sunt genus pyrotechnematum speciale. Quibus illustrantur scripturae aut aliae res.
- Capsae pyrotechnicae, quibus res in altum eiciuntur, sed ipsae ab humo non solvuntur, spectant ad **genus pyrotechnematum intermedium**, quod est inter humile et altum. Tales capsae

pyrotechnicae sunt *ollae igneae, luces Romanae, effectûs fumi et flammaram.*

- Pyrotechnema, in quo simul aut unum post aliud capsae deurruntur et affixae et ascendentes, saepe appellatur *pyrotechnema humile et altum combinatum.*



Pyrotechnema Regium in fluvio Tamesi factum (Londinii, d.15. m.Maii 1749)

### Distributio in greges et classes

Pyrotechnemata distribuuntur vehementiâ effectuum et periculo, quod eâdem imminet – classes pyrotechnematum altiores deurrere nemini licet nisi pyrotechnurgo erudito, inferiores deurrere licet maiorennibus. Classes sive categoriae numerantur more in Europâ mediâ solito:

- *Pyrotechnema magnum* (K. IV): Pyrotechnemata, quae deurrere non licet nisi pyrotechnurgis eruditis.
- *Pyrotechnema medium* (K. III): Pyrotechnemata, quae deurrere nemini licet nisi homini speciali permissione praedito (quae minus

valet quam eruditio pyrotechnurgi). Quae sunt amplitudinis minoris, praesertim quoad altitudinem ascendendi et copiam materiae pyrotechnicae. Praecepta sunt aliquanto minus severa.

- *Pyrotechnema parvum* (K. II): Talia sunt pyrotechnemata, quae deurere licet etiam hominibus, qui non sint pyrotechnurgi eruditi. Sed oportet deurantur ab hominibus adultis.
- *Pyrotechnema minimum* (K. I): Res pyrotechnicae ioculares et lusoriae, pyrotechnema mensale: Talibus plerumque licet uti sine limitatione.

Singulae lêges praeceptaque ad distributionem condicionesque spectantia pro terrâ inter se sunt varia.



**Magnum pyrotechnema, quod appellatur „Rhenus inflammatus“, a.2011 Confluentiâ in urbe (Koblenz) factum: Castellum, cuius nomen est *Ehrenbreitstein*, illuminatum est ratione bengalicâ.**

## Pyrotechnema musicum

Pyrotechnemata, quae secundum modos musicos ratione choreographicâ componuntur, appellantur pyrotechnemata musica. Quae componi incepta sunt modis musicis aetatis baroccae pyrotechnemata comitantibus, velut Händelianis modis musicis in regia pyrotechnemata compositis (*Music for the Royal Fireworks HWV 351*). Ignotum est, quatenus pyrotechnurgi ruchetas iaculati sint ratione synchronicâ ad modos musicos accommodata. Hodie autem pyrotechnurgi non solum sciunt pyrotechnemate modos musicos comitari, sed machinis accensivis usi ordinem eventuum pyrotechnicorum ratione synchronicâ accuratissimè ad modos musicos accommodare.

Multo difficilior est pyrotechnema accommodare ad modos musicos directè emissos (*live music*). Talis accommodatio musico-pyrotechnica dicitur esse vero artifice digna. Nuper acta est symphonia rucherarum ab **Orlando Gough** composita, qua annus urbis capitis cultualis (*Linz09*) incohatus est: Haec symphonia in scaenam producta est non solum instrumentis musicis, sed etiam magno choro 300 (trecentorum) cantorum. Lentiâ (*Linz*) in urbe Austriacâ diebus festis, qui dicuntur „**Ars electronica**“ iam diu inter se combinantur artes pyrotechnica et electronica.

## Alia genera pyrotechnematum

Alia genera pyrotechnematum sunt *pyrotechnema lacustre* (quod pyrotechnurgi iaculantur e ratibus), *technica pyrotechnemata*, quale est pyrotechnema scaenicum sive theatricum, *spectaculum igneum*, *effectûs cinematis speciales* aut *illuminatio pura*, qua illuminatio fit effectibus pyrotechnicis.

Genera specialia:

- ***pyrotechnema scaenicum*** est pyrotechnema, quod licet deuri in propinquitate hominum.
- ***pyrotechnema theatricum*** ita est instructum, ut adhibeatur in conclavibus oecisve conclusis.

Praeterea spectant ad praecepta pyrotechnica: substantiae pyrotechnicae, quibus efficiuntur fumes et nebulae, substantiae pyrotechnicae signalia efficientes, **ignis Bengalicus** **ignisque resinae laccae** (*Schellackfeuer*), necnon **emboli crepitantes** (*Böllerpatronen*) ad **cannones crepitantes** vel salutatorios (*Böller- oder Salutkanonen*) carricandos.

Spectaculum coriandrorum (*Konfettifeuerwerk*) non est pyrotechnicum, nam solet eici aëre compresso.

### **Substantiae pyrotechnicae valetudini nocentes**

Pyrotechnemate deusto aeri inest pulvis subtilitatis PM10, id est pulvis, cuius granula diametri sunt minoris quam 10 µm (denorum micrometrorum). Talis pulvis nocet valetudini humanae. Omni nocte Silvestri praecipuê in sedibus, quae sunt incolis frequentiores, mensurantur concentrationes pulveris subtilis (*Feinstaub*), quae a valoribus mediis differunt multis partibus. Monacho in urbe Bavariae, apud Viam Principis Regentis (*Prinzregentenstraße*) in statione aeris custodiendi primâ horâ post mediam noctem mensurata sunt 1138 (mille centum duodequadraginta) microgramma pulveris subtilis in aeris metro cubico. Tempore diurno metro cubico aeris infuerant 17 (septendecim) microgramma pulveris subtilis.<sup>1</sup> Officium circumiectorum Dessaviense (Dessau) refert aeris metrum cubicum continere posse 4000 (quattuor milia) microgramma pulveris subtilis.<sup>2</sup> In quadam regione Bonnae incolis frequentiore brevi post mediam noctem mensuratae sunt concentrationes pulveris subtilis, quae fuerunt plura quam 140.000 (centum quadraginta milia) microgrammorum. Cum hac in regione concentratio pulveris subtilis soleat esse 22 (viginti duorum) ferê microgrammorum, hic valor mensuratus solito est 6300 (sexies milies trecenties) maior.<sup>3</sup>

### **Data et facta**

Anno 2011 (bis millesimo undecimo) in Germaniam importatae sunt 37.040 (triginta septem milia quadraginta tonnae capsarum pyrotechnicorum, exportatae sunt 3.460 (tria milia quadringentae sexaginta) tonnae. In Germaniâ a.2011 erogati sunt 113 (centum tredecim) miliones euronum ad capsas pyrotechnicas emendas.<sup>4</sup> Sumptûs anni 2012 praedicti sunt 115 (centum quindecim) miliones euronum; ergo haec prognosis vix superavit valorem anni proximi praeteriti.<sup>5</sup>

### **Colores**

Color capsae pyrotechnicae, quae deuritur, pendet a qualitatibus atomicis certarum substantiarum admixtarum. Elementa chemica, quibus colores efficiuntur, ne fiat reactio praematura, formâ salum metallicorum, velut **nitratis strontii**, quo fit **rubor carmesinus**, admiscentur. Calore, qui oritur pulvere pyrio combusto, atomi elementi colorantis excitantur.

<sup>1</sup> [Feuerwerk an Silvester: Feinstaub in München 22-fach über Grenzwert!](#), 1. Januar 2010, merkur-online.de

<sup>2</sup> [Silvester: Feinstaub-Rekord durchs Feuerwerk](#), 27. Dezember 2007, STERN.DE

<sup>3</sup> [Feinstaubbelastung - Silvester kann tödlich sein](#), 17. Mai 2010, Süddeutsche.de

<sup>4</sup> [Feuerwerkskörper: Export- und Importzahlen](#) Abgerufen am 5. Dezember 2012.

<sup>5</sup> [2012 voraussichtlich so viel Feuerwerk wie im Jahr zuvor](#) Abgerufen am 1. Januar 2013

Excitando autem atomorum electroniis extremis adducitur copia energiae specifica, qua tolluntur ad altiorem gradum energeticum. Hic autem status cum non sit stabilis, electronium brevi iam tempore postea recidit in statum originale. Energiâ ab electronio recidente redditâ emittitur formâ particulae lucis, quae pro quantitate differentiae energiarum variis est coloribus (longitudo undae est antiproportionalis ad differentiam energiarum). Haec actio homini aspectanti videtur esse lux versicolor. Praeter additamentum supra commemoratum alia sunt usitata ad colorem efficiendum. **Nitras barii** solet adhiberi ad **viridem**, **acetas natrii** aut **carbonas calcii** ad **flavum**, **chloridum cupri** ad **caeruleum** colorem efficiendum. Fieri quidem potest, ut his additamentis inter se commixtis alii quoque colores efficiantur, sed quia tales mixturae propensae sunt ad reagendum ideoque periculum displodendi est maius, fabricatio earum est valdê intricata et sumptuosa.

### Historia pyrotechnematis

Pyrotechnematis primi inventores fuerunt **Sinenses**, quos iam septimo saeculo p.Chr.n. tale spectaculum instruxisse traditum est<sup>6</sup>. In Sinis dies festi saepe celebrabantur pyrotechnemate facto. Quod inhaeret Sinensium cultui civili et ab aliis cultibus civilibus societatibusque est receptum.<sup>7</sup> Ars pyrotechnica facta est professio propria. In Sinis pyrotechnurgi magni aestimabantur, quia sciebant rationes pyrotechnicas intricatas.<sup>8</sup>

Aetate domûs regnatricis **SONG**<sup>9</sup> (a.960–a.1279), multi homines communes emere poterant varia genera capsarum pyrotechnicarum a venditoribus mercatûs,<sup>10</sup> necnon magna pyrotechnemata fieri solebant. A.1110 inter spectacula militaria factum est etiam magnum pyrotechnema ad Imperatorem **Huizong Songianum**<sup>11</sup> (r. 1100–1125) eiusque aulicos oblectandos.<sup>12</sup> Documento anni 1264 Imperatrix vidua **Gong Sheng** refertur territa esse ruchetis sibi appropinquantibus

<sup>6</sup> v. Temple, Robert K.G. (2007). *The Genius of China: 3,000 Years of Science, Discovery, and Invention* (3rd edition). London: André Deutsch, pp. 256–265. [ISBN 978-0-233-00202-6](https://doi.org/10.1017/9780233002026)

cfr [http://de.wikipedia.org/wiki/Vier\\_gro%C3%9Ffe\\_Erfindungen\\_des\\_alten\\_Chinas](http://de.wikipedia.org/wiki/Vier_gro%C3%9Ffe_Erfindungen_des_alten_Chinas):

„Die **vier großen Erfindungen** Chinas (chinesisch 四大發明) sind das Papier, der Buchdruck, das Schwarzpulver und der Kompass. ... Das Pulver (chinesisch: huoyao 火藥 = Feuermedizin) verwendeten die Chinesen auch für Feuerwerkskörper, indem sie Bambusröhren mit Pulver füllten. Das Feuerwerk sollte böse Geister vertreiben oder wurde bei Festen einfach so zum Spaß gezündet.“

<sup>7</sup> Temple, Robert K.G. (2007). *The Genius of China: 3,000 Years of Science, Discovery, and Invention* (3rd edition). London: André Deutsch, pp. 256–265. [ISBN 978-0-233-00202-6](https://doi.org/10.1017/9780233002026)

<sup>8</sup> Hutchins, Paul (2009). *The secret doorway: Beyond imagination*. Imagination Publishing. p. 27. [ISBN 978-0-9817123-3-8](https://doi.org/10.1017/9780981712338).

<sup>9</sup> sinice 宋朝 pinyin *sòngcháo*, W.-G. *Sung Ch'ao*.

<sup>10</sup> Gernet, Jacques (1962). *Daily Life in China on the Eve of the Mongol Invasion, 1250–1276*. Anglice reddidit H.M. Wright. Stanford: Stanford University Press, pp. 186. [ISBN 0-8047-0720-0](https://doi.org/10.1017/9780233002026).

<sup>11</sup> sinice 徽宗 pinyin *Huīzōng*, W.-G. *Hui-tsung*.

<sup>12</sup> Kelly, Jack (2004). *Gunpowder: Alchemy, Bombards, and Pyrotechnics: The History of the Explosive that Changed the World*. New York: Basic Books, Perseus Books Group, p.2.



pyrotechnematis, quod die festo in honorem Imperatoris **Lizong Songiani**<sup>13</sup> r. 1224–1264) filii illius viduae sit factum.<sup>14</sup> Propulsio rucherarum in arte bellicâ latê patuisse legitur in opere saeculo 14.o compositum, quod inscribitur **Huolongjing**.<sup>15</sup> A.1240 Arabes pulverem pyrium eiusque usum didicerunt a Sinensibus. Syrus quidam nomine **Hasan al-Rammah**<sup>16</sup> scripsit de rucheris, de pyrotechnematibus deque aliis rebus incendiariis, verbis nominibusque usus, e quibus apparet eum scientiam accepisse e fontibus Sinicis, exempli gratiâ pyrotechnemata appellat „flores Sinicos“.<sup>17</sup>

Cum in Europâ exorta esset quidam “Sinismus” – ut ita dicamus – id est Sinicae artis recipiendae sive imitandae quaedam propensio, circa saeculum decimum septimum medium Sinica pyrotechnemata incipiebant fieri popularia.<sup>18</sup> **Lev Izmailov**, ambasciator Petri Magni, de Sinis referens dicit haec: *“Illi talia pyrotechnemata instruunt, qualia in Europâ nullus umquam homo vidit.”*<sup>19</sup> A.1758 **Petrus Nicolaus le Chéron d’Incarville**, Iesuita missionarius Pechinio in urbe vivens, scripsit de methodis, quibus multa genera pyrotechnematum Sinicorum fiebant. Eius relatio quinque annis post edita est ab Academiâ Scientiarum Parisiensi.<sup>20</sup> Opera eius translata sunt a.1765, quibus pyrotechnemata facta sunt popularia aliaque tentamina secreta pyrotechnematum Sinicorum revelandi.<sup>21</sup>

<sup>13</sup> Li-tsung; sinice 理宗 .

<sup>14</sup> Crosby, Alfred W. (2002), *Throwing Fire: Projectile Technology Through History*. Cambridge: Cambridge University Press. [ISBN 0-521-79158-8](#). pp. 100–103.

<sup>15</sup> **Huolongjing** (sinicum signum traditum: 火龍經, simplificatum: 火龙经, pinyin: *Huǒ Lóng Jīng*; Wade-Giles: *Huo Lung Ching*; quod valet Enchiridion draconis ignei) est tractatus militaris saec. 14.o scriptus, quem compilatum ediderunt **Jiao Yu** et **Liu Ji** auctores Domus regiae *Ming* prioris (1368–1644 AD) Sinensis. Quo opere describitur usus variorum armorum incendiariorum necnon pulveris pyrii). **Liu Ji** (1311 — 1375),<sup>[1]</sup> nomen honestum *Bowen* et nomen postumum *Wencheng* (文成), fuit praefectus militum, politicus, poeta aetatis *Yuan* exeuntis ineuntisque aetatis *Ming*, 1311–1375). **Jiao Yu** (sinice: 焦玉, pinyin: *Jiāo Yù*; Wade-Giles: *Chiao Yü*) Sinensis fuit praefectus militum, qui deditus erat ipsi *Zhu Yuanzhang* fundatori Domus regnatricis *Ming* (1368–1644 AD) et innotuit nomine Imperatoris *Hongwu*. fl. c. 1350–1412).

<sup>16</sup> **Hasan al-Rammah** (mortuus est a.1295) fuit Syrus chemista et ingeniarius. In Syria natus al-Rammah fuit primus muslimus chemista, qui sciret fabricare materias displosivas modernas. Hasan al-Rammah operi includit 107 (centum septem) praecepta pulveris pyrii fabricandi. Qui meliorem reddidit pulverem pyrium in Sinis inventum. Qui fuit primus quoque muslimus, qui inveniret rucheras displosivas. Necnon tractavit de torpedinibus, id est de capsis subaquaneis displosivis.

<sup>17</sup> cfr Temple, Robert K.G. (2007). *The Genius of China: 3,000 Years of Science, Discovery, and Invention* (3rd edition). London: André Deutsch, pp. 256–265. [ISBN 978-0-233-00202-6](#). cfr Kelly, Jack (2004). *Gunpowder: Alchemy, Bombards, & Pyrotechnics: The History of the Explosive that Changed the World*. Basic Books, p.22. [ISBN 0-465-03718-6](#).

<sup>18</sup> Werrett, Simon (2010). *Fireworks: Pyrotechnic arts and sciences in European history*. Chicago: The University of Chicago Press. p. 181. [ISBN 978-0-226-89377-8](#).


<sup>19</sup> Werrett, ibid..

<sup>20</sup> Werrett, op.mem., p.183.

<sup>21</sup> Werrett, ibid.



Ecce pyrotechnema Sinicum, quod pictum inest editioni fabulae eroticae illustrissimae aetate domus imperatricis *Ming* scriptae, cuius titulus est *Jin Ping Mei*. Haec editio facta est annis 1628-1643.



Ecce lineamentum saeculo duodevicesimo factum, quo exponitur pyrotechnema Sincum. Haec imago invenitur in summario quodam Anglico relationis, quam de terrâ Sinarum scripsit Iesuita Francogallus nomine *Pierre Nicolas d'Incarville*.

Iaponeses pyrotechnema etiam artificiosius reddiderunt; quod appellabant 花火 *hana-bi* „flores ignei“ (e sinico verbo 花火 *huāhuǒ*) necnon adhibuerunt ad ritûs religiosos faciendos.<sup>22</sup>

Saeculo quarto decimo exeunte in Italiâ (primo in urbe Vincentiâ a.1379) ex usu pulveris pyrii excolta est propria ars pyrotechnica, quae postea per totam Europam percrebuit.<sup>23</sup>

<sup>22</sup> Ruth Schneider: [Hanabi. Japanisches Feuerwerk](http://www.japanlink.de). In: [www.japanlink.de](http://www.japanlink.de)

In Europâ pyrotechnemata ex aetate novâ ineunte – pyrotechnurgi praestantissimi fuerunt **Amédée-François Frézier** (1682–1773)<sup>24</sup> et **Perrinet d’Orval** (1707-1782)<sup>25</sup> – adhibebantur aulae ostentandae causâ et aetate baroccâ exulta sunt ad proprium genus spectaculorum. In iisdem semper praevaluit finis civitatem repraesentandi.



**Amédée François Frézier (1682–1773)**

Nostrâ autem aetate in Americâ et Europâ pyrotechnemata praecipuê accenduntur anno ineunte, praeterea iis diebus festis, qui singulis nationibus sunt proprii, velut die Americanorum Independentiae, Austriacorum aut Helvetiorum die festo nationali, necnon eventuum causâ, ad quos confluere solent hominum maximae multitudines, velut propter certamina athletica, encaenia sive paganalia annua, festivitates

<sup>23</sup> Anja Kircher-Kannemann: [Höfe und Residenzen, Feuerwerke und Illuminationen Geschichte des Feuerwerks bis 1800](#)

<sup>24</sup> **Amédée François Frézier**, Francogallus qui natus est d.4. m.Iul. a. 1682 in oppido Chambéry, mortuus in urbe Brest a.1773, fuit ingeniarius militaris, explorator, botanista, nauta. A.1706 Amadeus Franciscus iuvenis bono cum successu edit Tractatum suum de pyrotechnemate scriptum (*Traité des feux d’artifice*), opus pyrotechnicum.

<sup>25</sup> **Jean-Charles Perrinet d’Orval** (natus a.1707 in oppido Sancerre; mortuus d.5. m.Maii a.1782 in urbe Parisiorum) Francogallus fuit pyrotechnurgus et auctor enchiridiorum practicorum. Praeter Amadeum Franciscum Frézier (v. supra) Iohannes Carolus d’Orval fuit pyrotechnurgus suae aetatis omnium praestantissimus, qui etiam de usu militari materiarum displosivarum pulverisque pyrii deliberavit.

musicas etc.). In Asiâ pyrotechnemata accendi solent aestate. In terris Europae meridionalibus praecipuê tempore paschali accenduntur pyrotechnemata.



***Facinora Herculis***, fabula cum pyrotechnemate in Rheno ante Dusseldorpium acta, in nuptias Iohannis a Jülich-Kleve-Berg et Iacobae a Baden-Baden a.1585 factas. Tabula aenea, quam fecit Frans Hogenberg.

Nomina nonnullorum pyrotechnematum longê latêque per orbem terrarum vagantur: Inter ea sunt *Fallas*, quae in Hispanicâ urbe Valentiâ fieri solent magno cum crepitu mense Martio ineunte non nocte, sed sole splendente (*masclela* appellatur pyrotechnema diurnum); sunt etiam ingentia illa pyrotechnemata, quae ardent in Americanâ urbe Camporum (*Las Vegas*), Iaponica illa supra iam memorata (*Hanabi*); Helvetica, quae fiunt *Festivatis Turicensis* causâ; Germanica, qualia sunt *Rhenus inflammatus*, *Lumina Coloniensia*, *Pyrotechnema Festivatis Insulae Danubianae causâ factum*, in quibus singulis monstrandis milio ferê spectatorum confluere solet. Fiunt etiam certamina pyrotechnica internationalia, qualia sunt *Festivitas Pyrotechnematum Regiomontana (Montreal Fireworks Festival sive L'International des Feux Loto-Québec)* et *Pyronale et Olympias Pyrotechnematum (Feuerwerksolympiade)*, quae fiunt Berolino in urbe Germaniae principe.



Pyrotechnema super Arno flumine factum (*Le feu d'Artifice sur l'Arno*).  
Tabula aenea, quam saeculo 17.o fecit Jacques Callot.

**Haec hactenus. Cara Lectrix, care Lector, utinam nunc scias, quid sit pyrotechnema.**

**E symbolis Wikipedianis verba Theodisca atque Anglica excerpit, nonnullis notulis exauxit, in Latinum convertit**

**NICOLAUS GROSS**

**LEO LATINUS**

## PYROTECHNEMA FRAGRANTIAE

*Sequitur capitulum octavum criminalis fabulae romanicae Patricii Sûskind, quae inscribitur „FRAGRANTIA“ (titulus originalis: „Das Parfum“, edita est a.1985). In Latinum convertit Nicolaus Groß.*

*Tempore cuiusdam pyrotechnematis Grenulius naso suo infallibili persequitur fragrantiam delicatissimam, quæ exhalatur a puellâ quadam pulchrâ pruna syriaca purgante. Grenulius, qui immani cupiditate corripitur fragrantiam puellæ integram possidendi, manibus collo circumpositis puellam suffocat. Veste eius discissâ faciem cuti puellari imprimit, omnes partes corporis puellaris naribus perscrutatur, dum odorando vietam reddat.*

Die primo mensis Septembris anno 1753, anniversario regni incipientis, curatores Parisini ad Pontem Regium curaverunt pyrotechnema instituendum. Quod non fuit tam conspicuum quam illud in connubium régis aut illud famosissimum in Delphinum neonatum factum, sed fuit pyrotechnema, quo admiratio valdê moveretur. Navium mâlîs affixae erant aureæ rotæ solares. De ponte tauri ignivomi (quales appellabantur) imbrem stellarum ardentem in flumen spuebant. Cum ubique sono soporifero strepentes displodebantur pyropordæ<sup>1</sup> ranæque crepates<sup>2</sup> per vias stratas micabant, ruchetæ<sup>3</sup> in cælum ascendebant, quibus firmamentum nigrum impingeretur tamquam liliis albis. Multitudo aliquot milium hominum et in ponte et in ripis utriusque marginis fluvii congregata, spectaculo acclamabat animis inflammatis "Ah!" et "O!" et "Σοφῶς!", immo etiam "Ἐρρωσο!" - quamquam rex regnum triginta iam annis ante adeptus fastigium gratiæ popularis iam pridem egressus erat. Tantum valet pyrotechnema.

Grenulius tacitus stabat in umbrâ Papilionis Florae, in ripâ dextrâ, adversus Pontem Regium. Manum non movebat plausum, ne ruchetas quidem ascendentes aspectabat. Advenerat sperans se posse nictulando<sup>4</sup> aliquid novi invenire, sed mox animadvertit pyrotechnemate nullum odorem præberi extraordinarium. Iis, quæ ibi abundantia multiplicitate scintillabant et coruscabant et crepitabant et sibilabant, combustis relicta est mixtura fragrantiarum admodum simplex sulphuris et olei et salis petræ.

Iam abiturus erat, ut domum iret præter Porticum Luparæ, cum vento sibi aliquid allatum est, aliquid pusillum, vix sensibile, micula, atomus fragrantiae, immo, etiam minus: potius præsensio fragrantiae quam vera fragrantia - tamen simul præsensio alicuius rei numquam olfactæ. Grenulius iterum recessit ad murum, oculos clausit, nares inflavit: Quæ fragrantia erat tam eximiê tenuis et subtilis, ut ab eo non posset retineri,

<sup>1</sup> \*pyroporda, -ae f. *Petarde*.

<sup>2</sup> rāna crepāx *Knallfrosch*.

<sup>3</sup> +ruchēta, -ae f. *Rakete*.

<sup>4</sup> \*nictulō, -āre *schnüffeln*.

iterum iterumque a sensu removebatur; obtegebatur vapore pulveris pyrii pyropordarum, obstruebatur exhalationibus turbæ hominum, concidebatur et disterebatur sescentis aliis odoribus urbis. At tum, subito, iterum adfuit, laciniola tantum, per brevem temporis secundam odorabilis, quasi magnifica prælibatiuncula... et evanuit. Quo Grenulius tormenta passus est. Primum non afflicta est eius cupiditas, sed reverâ ipsa eius anima. Ei mirum in modum subolebat hanc fragrantiam esse clavem ordinis omnium fragrantiarum ceterarum, eâdem non intellectâ nihil fragrantiarum intellectum esse et sese, Grenulium, vitam suam profusurum fuisse, nisi sibi contigisset, ut hanc unam possideret, sibi necesse esse hanc habere, ut adipisceretur tranquillitatem animi.

Animus Grenulii tam excitatus erat, ut ferê nausearet. Ne id quidem invenerat, e qua directione fragrantia veniret. Interdum intervalla, antequam denuo ei afflata est laciniola, per minutas facta sunt, ut Grenulius angore atroci correptus timeret, ne illam perdidisset in æternum. Denique servatus est fide desperatâ credens fragrantiam venire ex alterâ ripâ fluminis, ex aliquo loco inter meridiem et orientem sito.

Se removit a muro Papilionis Floræ, se immersit turbæ hominum, trans pontem viam sibi fecit. Nonnullis gradibus factis sistebat, summis digitis insistebat, ut super capita hominum nictularet, primum præ animi excitatione nihil odoratus, tandem aliquid odoratus nictulando fragrantiam invênit, fortiolem quam antea, scivit se recto vestigio insequi, se submersit, volutando pervasit turbam inhiantium et pyrotechnicorum continuo faculas funiculis ruchetarum admoventium, in pyrii pulveris nidore mordaci perdidit fragrantiam, ut terrore panico corriperetur, perrexit propulsando et offensando et volutando se promotus est, minutis partibus horæ infinitis attigit alteram ripam, Hospitale Maiale, Molem Malam, ôs Viæ Sequanæ.

Ibi constitit, animum collegit, odoratus est. Odorem ceperat. Quem retinuit. Hic odor tamquam tænia per Viam Sequanæ detrahebatur, singulariter distinctus, tamen etiam nunc pertenuis persubtilisque. Grenulius sensit cor suum palpitare et scivit non labore currendi fieri, ut cor palpitaret, sed hîc odore, quo animus suus excitatus debilitaretur. Aliquid comparabile recordari conatus non potuit, quin refutaret omnes comparationes. Hunc odorem esse recentem; sed non tam recentem quam limonella vel pomarancia, non tam recentem quam myrrham aut folium casiæ aut mentam crispam aut betullas aut camphoram aut aciculas pineas, non tam recentem quam pluviam maialem aut ventum gelidum aut aquam fontalem ... , et simul esse calidum; sed non tam calidum quam bergamottam aut cypressum aut muscum, non tam calidum quam iasminum et narcissum, non tam calidum quam lignum rosarum neque quam iridem ... Hunc odorem mixturam utriusque rei volatilis et rei ponderosæ, immo, nullam mixturam, sed unitatem,



præterea tenuem et levem et tamen solidum et stabilem, tamquam pannum serici tenuis et versicoloris. ... tamen non tamquam sericum, sed tamquam lac mellitum, quo solveretur pasta spongia ... - quae inter se omnino non convenire - lac et sericum! Hunc odorem esse incomprehensibilem, nullo modo in ordinem redigi posse, odorem esse vel maximè impossibilem. Tamen hunc odorem mirabiliter adesse, quasi esset omnino cottidianus. Quem Grenulius persecutus est anxioso corde palpitante, nam præsensit se non sequi fragrantiam, sed se fragrantiam captum esse eademque attrahi inevitabiliter.

lit adversâ Viâ Sequanae. Nemo in viâ erat. Domûs stabant vacuae atque quietae. Homines erant infra ad flumen, spectabant pyrotechnema. Nullo odore humano inquieto, nullo pulveris pyrii foetore mordaci turbatus est. Via strata fragrabat fragrantias solitas aquæ, stercoris, rattorum, purgamentorum holerariorum. Sed supra eam volitabat tænia tenuis atque distincta, qua Grenulius ducebatur. Paucis gradibus factis rara lux cæli nocturni devorata erat altis domibus. Ut Grenulius prodiret in tenebris, non egebat visu. Securè ducebatur odore. Quinquaginta metris post dextrorsum deflexit in Viam Paludum, angiportum fortasse etiam obscuriorem, vix cubitalis latitudinis. Mirum erat, quod fragrantia non multo aucta est. Purior tantum facta est eoque, id est, puritate suâ etiam etiamque augescente, magis magisque exaucta est eius vis attractiva. Grenulius processit expers voluntatis propriæ. Alicubi odore tractus est in ipsam partem dextram, quasi medium in murum domesticum. Patefactus est meatus humilis, qui ducebat in aulam posticam. Grenulius more somnambuli aulam posticam transgressus per angulum deflexit, attigit alteram aulam posticam minorem, ubi tandem fuit lux: areola paucos tantum gradûs quadratos intus habuit. Muro proiecta erat obliqua suggrunda lignea. Sub eadem stabat mensa, cui candela erat agglutinata. Hanc ad mensam sedebat puella pruna syriaca purgans. Quæ fructûs e corbe a sinistris sito sumptos, petiolis et nucleis cultro purgatos demittebat in situlam. Puella erat fortasse tredecim vel quattuordecim annos nata. Grenulius in loco constitit. Statim scivit, unde fragrantia exoreretur, quam per dimidium spatium miliarium usque ad alteram ripam fluminis odoratus erat: non ex hac aulâ posticâ sordidulâ, non e prunis syriacis. Exoriebatur ex hac puellâ.

Momento temporis Grenulius tam conturbatus erat, ut reapse cogitaret se in vitâ suâ numquam vidisse rem tam pulchram quam hanc puellam. Quamvis nihil nisi umbram puellae lineis circumductam a tergo videret adversus candelam. Scilicet eum sensisse se numquam rem tam pulchram esse odoratum. Sed cum novisset odores hominum, multa milia odorum hominum, odores virorum, mulierum, infantium, non comprehendit fragrantiam tam exquisitam effluere ex homine. Plerosque homines olere indecorum aut miserabile, infantes olere insipidum, viros lotium et sudorem acrem et caseum, mulieres adipem rancidum et

pisces putrescentes. Homines olere perquam iniucundum, tædiosum ... Ita factum est, ut Grenulius primum in vitâ suâ naso suo diffusus oculis niteretur, ut crederet id quod odorabatur. Haud diu quidem sensus eius conturbatus est. Reverâ momento tantum ratione opticâ rem confirmavit eo vehementius se traditurus rebus a se olfactis. Nunc odoratus est illam esse hominem, odoratus est illius axillarum sudorem, capillorum pinguamen, sexûs odorem piscinum, odoratus est summâ cum voluptate. Puellæ sudorem fragrare tam recens quam ventum marinum, sebum capillorum tam dulce quam oleum nucinum, sexum puellæ tamquam nymphæarum ὀσφραντήριον, cutem tamquam florem prunorum armeniacorum ... omnibus autem his partibus inter se compositis fieri myron tam uber, tam bene æquilibratum, tam magicum, ut omnia myra usque nunc a Grenulio olfacta, omnia, quæ ipse in intimo animo suo ædificaverat ædificia odoraria, subito evanescerent in meram absurditatem. Centum milia fragrantiarum videbantur nihili esse præ hac unâ fragrantiâ. Una fuit ratio sublimior, cuius exemplo ceteræ erant ordinandæ. Quæ fuit pura pulchritudo.

Grenulio persuasum erat suam vitam sine possessione huius fragrantiaë prorsus inanem esse. Sibi necessarias esse minimas partes, usque ad ultimos ramulos subtilissimos: non sufficere solam memoriam eius complexam. Voluit quasi ferro signatorio μύρον ἀποθεωτικόν imprimere colluviei animae suae nigræ, idem myron ad amussim perscrutari indeque non cogitare, vivere, olfacere nisi secundum structuram interiores huius formulæ magicæ.

Lentê accessit puellam, etiam etiamque propius, subiit suggrundam, in loco constitit uno gradu post illam. Illa eum non audivit.

Puella erat rufa, veste canâ, non manicatâ. Bracchia puellæ percandida, manûs suco syriacorum incisorum flavebant. Grenulius dorso incurvato supra stans eius fragrantiam nunc inhauriebat prorsus immixtam, talem, qualis ascendebat ex eius cervice, eius capillis, e vestimenti capitis, et sivit hanc fragrantiam sibi influere tamquam lenem auram. Grenulius numquam antea tam bene se habuerat. At puella frigescebat.

Quæ Grenulium non vidit. Sed quodam angore correpta est, miro frigore, quali homines afficiuntur, si subito in eos incitur vetus anxietas desueta. Sibi videbatur dorsum afflari aere frigido, ab aliquo ianuam pulsando esse apertam, quæ duceret in giganteum hypogeum frigidum. Itaque cultro coquinario deposito, brachiis ad pectus attractis se convertit.

Puella tam vehementer horruit, ut Grenulio multum esset temporis, quo manûs suas illius collo circumponeret. Illa non conata est clamare, se non movit, nullo motu se defendit. Grenulius eam non aspexit. Non vidit illius faciem subtilem, lentigine conspersam, ôs rubrum, magnos oculos glaucos coruscantes, nam oculos habuit opertos compressosque, cum

collum puellæ elidit nihilque ei curæ fuit nisi timuit, ne perderet vel minimum puellaris fragrantiae.

Grenulius illam, cum mortua esset, humi deposuit medios inter nucleos syriacorum, vestem discidit, ut fluentum fragrantiae abundaret, ut suaveolentia puellæ inundaretur. Facie suâ cuti puellæ iniectâ naribus dilatissimis vectus est a puellae ventre ad mammas, ad collum, in faciem, per capillos, retro ad ventrem, deorsum ad sexum puellæ, ad femora, ad crura candida. Illam odorando perscrutatus est a capite usque ad digitos pedum, collegit ultimas partes reliquas fragrantiae in mento, in umbilico, in rugis flexuum brachialium. Cum puellam odorando vietam reddidisset, parumper perrexit iuxta illam incoxare, ut animum colligeret. Nam Grenulius superabundavit illâ virgine. Nihil profundere voluit fragrantiae puellaris. Primum Grenulio concludenda erant vasa animæ haustoria. Tum surrexit et candelam exstinxit.

Illo tempore priores homines cantantes et "Ἐρρωσο!" clamantes venerunt adversâ Viâ Sequanæ. Grenulius in tenebris odorando ad angiportum revênit et ad Viam Parvorum Augustinorum, quæ rectâ Viæ Sequanæ regione duxit ad flumen. Paulo post inventa est puella mortua. Clamatum est. Faculæ sunt accensæ. Advenère vigiles. Grenulius autem iam pridem erat in alterâ ripâ.

Hac nocte Grenulio tugurium videbatur esse palatium, cama tabulata videbatur conopeum. Quid esset beatitudo in vitâ suâ præteritâ nondum expertus erat, nisi quod noverat affectûs perraros animi hebetis quadamtenus contenti. At nunc tremebat beatitudine neque præ animæ beatitudine poterat dormire. Grenulius sibi videbatur iterum nasci, immo, non iterum, sed primo, nam usque nunc se non exstitisse nisi animaliter sui ipsius non conscium nisi ratione perquam nebulosâ. Sed inde ex hâc die sibi visus est tandem scire quis ipse reverâ esset: nempe se neminem esse nisi hominem ingeniosissimum, vitæ suæ esse usum et rationem et finem et destinatum sublimius; nempe id præclarum, ut mundum fragrantiarum funditus reformaret neminemque nisi se possidère omnia instrumenta ad hoc faciendum: nempe nasum exquisitum, memoriam excellentissimam, quod omnium esset præstantissimum, fragrantiam significativam illius puellæ in Viâ Paludum inventæ, cui per formulam magicam omnia inessent, quæ facerent fragrantiam magnam, quæ facerent myron: subtilitas et vigor et stabilitas et multiplicitas et terribilis, inevitabilis pulchritudo. Ita Grenulius invenerat pyxidem magneticam ad iter vitæ suæ faciendam. Sicut omnia monstra ingeniosissima, quorum animis quodam chao distortis et convolutis imponitur orbita recta, Grenulius non iam aberravit ab eo, quod sibi fato destinatum esse credidit. Nunc intellexit, quare ipse tam tenax atque mordicus pendêret e vitâ sustinendâ. Sibi necesse esse fieri creatorem fragrantiarum. At non aliquem, sed myropœum omnium ætatum maximum.

Ipsâ autem nocte Grenulius primo vigilans, deinde somnians perquisivit ingentes parietinas memoriæ suæ. Probavit myriades taxillorum fragrandi constructivorum easdemque redegit in ordinem systematicum: attribuit bona bonis, mala malis, subtilia subtilibus, rudia rudibus, foetida foetidis, ambrosiana ambrosianis. Sequentibus septimanis procedentibus hic ordo magis magisque subtilis factus est, catalogus fragrantiarum etiam etiamque uberior et multiplicior, ordinatio distinctior. Mox iam cœpit constituere prima ædificia odorum considerata: domos, conclavia, cubicula secreta ... fragrantiarum pulcherrimê compositarum. Castellum interius, quod cottidie dilatabatur, cottidie amœnabatur, cottidie perficiebatur. Hanc magnificentiam incohatam esse homicidio, Grenulius, si quidem hoc sibi conscivit, non flocci fecit. Aspectum puellæ in Viâ Paludum inventæ, faciem, corpus, îdem non iam potuit recordari. Grenulius autem pro certo habuit se conservasse illius partem optimam: rationem fragrantiaæ.

*(Finis capituli octavi primæ partis »Fragrantiaæ«)*

**FABULAM, C.T. »FRAGRANTIAE« (DAS PARFUM)**

**A PATRICIO SÜSKIND SCRIPTAM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## FABELLA GRIMMIANA AVIS FITCHERI



**FUIT** aliquando magister magiae, qui in formam viri pauperis mutatus ad domos progressus mendicans pulchras puellas captabat. Nullus homo sciebat, quo ille puellas apportaret, nam numquam illae in conspectum reveniebant. Aliquando ante ianuam cuiusdam viri, cui fuerunt tres filiae pulchrae, magus apparuit, aspectu miseri mendici infirmi, in dorso corbem ferens, quasi eâdem vellet colligere stipes clementer datas. Îdem cum aliquantulum cibi rogavisset, puella maxima natu egressa, ut ei daret frustum panis, semel a mago tacta non potuit, quin statim in eius corbem insiliret. Deinde magus abiit festinanter illam in silvam opacam ferens ad domum suam, quae stabat mediâ in silvâ. In hac domo omnia erant magnifica: dabat puellae, quaecumque voluerat, dicens »meum corculum, apud me bene te habebis, nam omnia tibi sunt, quae cupis ex animo.« Nonnullis diebus transactis magus: »non possum« inquit »quin proficiscar te per breve tempus relicturus, en habeas claves domesticas, licet tibi ire quocumque volueris et omnia aspectare, at ne eas in conclave, quod aperitur istâ claviculâ, tibi interdico, in istud enim conclave si ieris, lues poenâ capitali.« Praeterea magus puellae ovum dans: »hoc ovum« inquit »oportet serves diligenter

semperque tecum feras, nam ovum si amiseris, inde fiet magnum infortunium.« Clavibus ovoque acceptis puella promisit se omnia bene facturam esse. Mago profecto ea per domum ibat ex infimo loco ad supremum omniaque aspectabat. Conclavia autem argento auroque fulgebant, ut puella sibi persuaderet se numquam vidisse tantam magnificentiam. Tandem advênit ianuam vetitam, voluit quidem eam praeterire, sed curiosior erat, quam ut quiesceret. Puella, cum sibi aspectanti clavis videretur talis, quales ceterae, claustrum imposuit, paululum vertit, tum ianua raptim est aperta. At quid puella intrans aspexit? Medio in conclavi stabat pelvis magna et sanguinolenta, eidemque inerant mortui homines concisi, iuxta stabat caudex, cui imposita erat securis fulgens. Puella tam vehementer territa est, ut ovum, quod manu tenebat, in pelvem tux tax incideret. Puella ovo exempto sanguinem abstergebat, sed frustra, sanguis statim denuo apparebat; puella quamquam tergebat et scalpebat, ei non contigit, ut sanguinem ab ovo absolveret.

Nec mora, vir itinere facto revênit nihilque prius postulavit quam clavem ovumque. Puella haec illi tradidit, sed tremuit; magus ex ôvi maculis rubris statim agnovit illam fuisse in conclavi sanguinolento. Tum: »Cum *me* invito« inquit »in conclave ieris, oportet *te* invitâ inferaris. Vita tua est finita.« Puellam prostratam crinibus correptis in conclave traxit, ibique caput caudici impositum securi abscidit, truncum discidit, ut sanguis per pavementum proflueret. Deinde partes corporis ceteris adiecit pelvi impositis.

Magus: »Nunc« inquit »alteram mihi arripiam«, iterum in formam viri pauperis redactus ad domum iit et mendicatus est. Tum altera puella ei frustum panis attulit; quam ita ut primam, id est attingendo tantum, captavit et secum abstulit. De hac puellâ haud melius actum est quam de eius sorore: curiositate inducta aperuit conclave sanguinolentum, inspexit, reversa luit morte. Nunc magus abiit tertiam arreptum, sed eadem erat prudens et callida. Cum magus ovo tradito esset profectus, haec puella primo ovum condidit diligenter, deinde domum perspexit, tum iit in conclave vetitum. Eheu, quid puella conspexit! Sorores suas caras ambas pelvi impositas miserabiliter necatas et discisas. At ea coepit membra illarum conquirere rectisque in locis collocare, capita, corpora, bracchia, pedes. Cum nihil iam deesset, membra coeperunt moveri, unum ad aliud coniunctum est, ambae puellae oculos aperuerunt et redanimatae sunt. Tum gaudio perfusae inter se osculabantur atque amplectebantur tenerrime: at minima natu sorores abductas abdidit. Vir reversus postulavit claves ovumque; nullo autem vestigio sanguinis invento: »Tu« inquit »examen superasti; tu sis sponsa mea.« Nunc cum non iam valeret ad puellam, non potuit, quin faceret quae ea postulabat.

»Agedum« illa respondit, »velim tu antea patri meo matrique afferas corbem auri plenam eandemque ipse dorso tuo apportes; interim ego nuptias praeparabo.«

Deinde iit ad sorores, quas in cubiculum abdiderat, et dixit: »Adest momentum temporis, quo vos servem: maleficus ipse volo vos domum ferat; at ubi primum domi eritis, mittite mihi adiutores.« Puella ambas sorores corbi imposuit eamque ita obtexit auro, ut nihil illarum videretur, deinde mago arcessito: »Nunc« inquit »aufer corbem, sed cave, ne in itinere sistas neve quiescas, nam ego per fenestellam prospiciens attendam.«

Magus autem corbe subbaiulatâ abiit, sed tam vehementer eâdem premebatur, ut sudor facie demanaret. Tum îdem vir consedit quieturus, sed statim vocem audivit e corbe vocantem »specto per meam fenestellam et video te quiescere, fac ut iter pergas.« Magus autem, cum haec a sponsâ sibi vocata esse opinaretur, iterum profectus est. Iterum volebat considerare, cum subito vocatum est »specto per meam fenestellam et video te quiescere, fac ut iter pergas.« Et quodcumque constiterat, vocabatur, ut iter pergeret, usque dum gemens atque exanimatus corbem auro ambabusque puellis completam in domo parentum traderet.

In magi autem domo sponsa nuptias praeparavit et iussit amicos magi invitare. Deinde puella calvariam ringentem instruxit ornamento coronaque florali, eandem sursum portavit ante foramen granarii, ut inde prospiceret. Omnia cum parasset, sponsa insedit dolio mellis pleno, lodicem læcti plumosam dissecuit, per plumas se volutavit, ut, quia aspectum habuit mirae avis, a nemine agnosceretur. Tum puella domo egressa iter faciens incidit in nonnullos convivas nuptiarum, qui interrogaverunt:

»Tu, avis Fitcheri, unde venis?«

»Venio e domo Fitzei Fitcheri.«

»Quid ibi facit sponsa iuvenis?«

»Infra, supra cum everrerit,  
e foramine tecti prospicit.«

Tandem sponsus ei obviam factus est lentê remigrans. Qui ita ut alii quaesivit e puellâ :

»Tu, avis Fitcheri, unde venis?«

»Venio e domo Fitzei Fitcheri.«

»Quid ibi facit sponsa iuvenis?«

»Infra, supra cum everrerit,  
e foramine tecti prospicit.«



Sponsus autem sursum conspiciens calvariam ornata[m] putavit eam esse sponsam suam, eidemque annuens salutem dixit comiter. At cum îdem unâ cum convivis suis domum intravisset, sponsae fratres et cognati advenerunt, qui emissi erant, ut illam adjuvarent. Iidem omnes ianuas domûs concluderunt, ne quis effugeret, domumque accenderunt, ut magister magia[e] combureretur unâ cum omnibus flagitii sui gerulifigulis<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> originaliter: „mitsamt seinem Gesindel“. cfr PLAUT. Bacch. 381 gerulifigulus flagitii.



**FABELLAM GRIMMIANAM  
QUAE INSCRIBITUR «FITCHERS VOGEL»  
IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

# **VOTA IN ANNUM MMXIV FERENDA**



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,**

**IN ANNUM MMXIV INEUNTEM**



**LEO LATINUS  
OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.**




**HANC EPISTULAM LEONINAM  
UNDESEPTUAGESIMAM**

**EL 69**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**Die 5.o. m.lan. a.2014**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.com/>**

